

Renter:  
Anno matis  
quod in corporati  
l. m. C. de  
nudo jure  
Anno 17. T. 1.  
missum in Toscana  
per Notandum re  
monstratio solo  
Tus.









JO. HARTWICHI REUTER D.

POTENTISS. BORVSSOR. REGI IN SUPREMO OMNIVM PROVOCATIONVM  
TRIBUNALI A CONSILIIIS SECRETORIIS

A E N I G M A T I S

QUOD

IMPERATORI L. UN. C.

DE NUDO IURE QUIRIT. TOLL. VISUM

IN

DOMINIO QUIRITARIO

A C

BONITARIO

S O L U T I O

QVA SIMVL

Kd 2333

NOTIONES IURIS IN RE AC AD REM

E V O L U T I O R E S

S I S T I T .


H A L A E

A P V D J O C H A I S T J A N H E N D E L

1755.

XLI. 1.





Qum tritam istam satisque decantatam dominii  
olim in Quiritarium ac Bonitarium diuisionem  
sub incudem reuocare, nostramque, quam  
animo imbibimus forsan hac de re sententiam,  
modo, quem hae plagulae capiunt, dicere animus ferat;  
recte ac ordine nos facturos credimus, si viam munituri iuris  
in re ac dominii euolutiores, ac vulgo fieri affolet, dederi-  
mus notiones. Quin, nisi me omnia fallunt, maiora ex iu-  
ris in re pariter ac ad rem curatius instituta analysi commo-  
da in vniuersam nostram iurisprudentiam redundatura sunt,  
quam quae DD. quantum ego quidem adhuc scio, animad-



uertere solent, vt ipsum inde, in quem ars nostra digeren-  
da, ordinem magnam partem dependere temere haud dixe-  
ris. Certe tantum abest, vt breuior in horum explicatio-  
nem digressio vitio danda sit, vt ex facili a me impetrare  
potuerim, ex hoc diuerticulo demum vt in viam redirem.

Si qua sunt, circa quae facultates nostrae morales ver-  
santur, obiecta iurium nostrorum ea sunt. Summa horum,  
quae obuersantur, obiectorum eo reddit, vt aut vires alicuius  
personae sint, aut non. Si illud, factum, sin hoc, res  
oriunda in specie talis est. Sed tria iuris obiecta esse, per-  
sonas, res & actiones ex CAIO I. 1. sq. de statu hom. Imper-  
ratorem luculenter satis inculcare pr. I. de iur. pers. occla-  
mabunt. Scimus, nihil tamen mutamus. Simul enim ac  
mentem nostram vterius aperuerimus, nos cum FLAVIO  
nostro non committere adparebit.

Si factum iuris obiectum est, vel eius est factum, cuius  
est ius, vel non. Priori casu factum est *proprium*, po-  
steriori vero *alienum*. Si factum alienum, vel cum re reali,  
quam eiusmodi deinceps vocabimus rem, quae ita cum  
facto alicuius personae connexa non est, vt absque eo ob-  
iectum iuris alterius esse non possit, connexum est, vel non.  
Priori in casu nobis usitato nomine destitutis *factum reale*,  
posteriori in casu *personale* nominare liceat. Sic. v. c. fa-  
ctum

factum venditoris venditam rem tradentis factum personale, factum vero possessoris rem possessam vindicanti restituentis factum reale est. Iam ponamus ius, cuius obiectum non est, nisi factum personale, id ipsum illud ius est, quod terminum ex iure canonico c. 8. de concess. praeb. in 6. & c. 40. de praeb. in 6. mutuantur communis DD. scolia iuris ad rem nomine insignit.

Factum personale vel a membro quodam societatis (quatenus societati, quam vocant, rerum opponitur) patrandum est, vel non. Priori in casu factum *sociale* est. Iuri ad rem factum personale obuersatur, vel sociale, vel non. Si illud *persona*, si hoc, *res obiectum iuris* dicitur. Iam si persona obiectum iuris, *ius personarum*, si res, *ius rerum* oritur. Quod si paullo laxius sumitur, ius sub se comprehendit, quod actionum dici suevit. Horum terminorum non desunt aliae aliorum explicaciones. Moris est, iuris personarum natales proprios ex ipso statu repetere. BERGER. *Oecon. iur. Bib. I. T. 2. §. 1. not.* Sed si statutum in eo adipicimus sensu, qui in iure ex usu loquendi tribuitur, omne ius sane, quantum quantum est, ex statu oriundum. Nihilque adeo esset ius personarum, nisi ius personae competens. Omne autem ius personae, iuris quippe subiecto competit. BERGERVS loc cit. equidem aliquie personarum ius versari dicunt circa personas. Sed

A 3

qui

qui fieri possit, personam iuris subiectum, eiusdem esse obiectum, in silentio reponunt. Ipsi, quod recordamur, aliis olim usi sumus definitionibus, ius personarum, quod proxime ex ratione personae, a iure rerum, quod proxime ex rei notione cognosci detur, discernentes. Sed his iam non utimur. Luculentius rationem reddere possumus, quae Imperatorem mouerit, has quare potius reliquis in iure personarum tractarit doctrinas.

Si factum personale ponimus vel translationem alicuius rei inuoluit, vel non. Illo casu factum dici solet *qualificatum*, hoc vero *nudum*. Iuris ad rem obiectum, factum personale est. Quod vel qualificatum est vel nudum. Si illud *ius ad rem qualificatum*, si non, *ius ad rem nudum* haud incommode dici potest. Quum omni iuri respondeat obligatio, idem de iure ad rem dicendum, nullus negarit. Quae iuri ad rem qualificato respondet, *obligatio ad rem*, quae vero nudo, *obligationem ad factum DD.* vocant tantum non omnes. Sed diutius extra oleas hac in re non vagamur. Satis est, hic viam aperire in specialiora omnia ituro.

Si res in specie talis obiectum iuris, vel ita cum facto alicuius personae connexa, ut absque eo obiectum iuris alterius esse non possit, vel non. Si illud, quum consuetum nomen non suppetat, rem dicere *personalem*, si non, *rem rea-*

*realem*, arbitrium dabitur. Sic v. c. res vendita nondum tradita res personalis, tradita res realis est. Iam ponas ius, cuius obiectum res quaedam realis est. Quod ipsum *ius in re* dicitur adcepito perinde termino ex iure canonico. Illud autem nobis iam non datum esse credimus negotii, ut aliorum horum iurium definitiones pariter ac diuisiones exagitemus. Quam facile enim est, suo quemlibet perpeti sensu abundare. Id adhuc monendi sumus, suo vsu haec in iure ciuili tam, quam in iure naturali non destitui, nisi quod ipsa applicatio nimium quantum differat. Sic v. c. res vendita nondum tradita, de iure naturae res iam realis est, quae ciuili iure non nisi personalis. Ponas Titium suo tigno Sempronio aedificium exstruere teneri, antequam aedificium exstructum, aedificium de iure naturae res erit personalis, exstructum realis.

Omne ius in nostra, qua versamur, sphaera actioni producendae par est. Adeoque tam ius in re, quam ius ad rem. Actio ex iure in re resultans *realis*, ex iure ad rem, *personalis* est. Actionem realem contra tertium instauri posse, quod *V L P I A N O l. 25. de act. & obl.* visum, ita colligas. Actio realis nititur iure in re, ius in re obiecto sola re reali vtitur. Exerceri adeo potest, vbiunque deprehenditur, consequenter contra quemcunque possessorem. Si ius in re effectum suum contra quemcunque possessorem ex-

exserit, quotusquisque est, qui reali actione tertium pulsari posse non videat. Actio contra personalis, quum factum solum personale, adeoque personam non egrediens, pro obiecto habeat, contra tertium institui non datur. Ideo hic adducuntur, quae vulgati satis iuris sunt, ne nostras explicationes infecunditatis quis arguat.

Ius in re obiecto gaudet re reali, vel in securitatem crediti, vel non. Si illud, *pignus* dicitur, si hoc, vel res realis vniuersitas iuris defuncti qua talis est, vel non. Priori casu *hereditas*, posteriori vero vel res realis ipsa rei substantia est, vel eius *consectaria*. Prius ius in re *dominium*, posterius *seruitus* audit. Non iam lites de numero specierum iuris in re, quibus DD. fese exercuerunt, nostras facimus. Nimis a scopo alienum est, rem ita explanare, ut secundum quos lis danda, in manu teneri possit. Dominium in iure nostro in duplice significatu occurrere pridem THOMASIVS in notis ad HVBER. *Prael. ad I. L. II. tit. i. ss. 13.* monuit. Plerisque probatur definitio MYNSINGERI, quam ad *pr. I. de rer. diu.* sequentem in modum suppeditat: *Est ius de re corporali perfecte disponendi aut eam vindicandi, nisi lex vel conuentio, addunt vel testatoris voluntas obsistat.* Sed si ad regulas artis eandem exegeris, non probabitur. Per inferiora forma*ta* est. Terminus *vindicandi* eatenus nobis offendiculo est, quatenus nihilominus

minus vindicationem deinceps per actionem ex dominio fluentem satis incauti sunt definire. Variis ipsis additis restrictionibus ex *I. vlt. C. de reb. alien. non alien.* petitis iure meritoque supersedemus. Qum enim dominii genus ius adsumtum, adeoque facultas lege determinata, nihil sane in dominium cadere potest, cui lex siue mediate siue immediate obserstat. **G R O T I I** definitio quam *L. 2. Manud. c. i. §. vlt.* suppeditat, vi cuius: *Facultas dicitur, qua quis rem non possidens eam iure consequi potest iusto latior est.* Luxta **E V E R A R D . O T T O N E M** ad *I. de rer. diu §. II.* dominium *ius* est, *quo res corporalis ad usum plenissimum est nostra.* Usus autem plenissimus terminus est ex relatione, si quis alius obscurus est. **V I N N I V S** *Com. ad I. de rer. diuis. ad §. II. n. 3.* definit *plenam in rem potestatem.* **N E R A T I O** in *I. 13. de adquir. rer. dom.* dominium *rei proprietas* est. Varii autem proprietatis separandi sunt significatus. Pari interdum cum dominio passu ambulat. Sed tum magis dominii *synonymum*, quam eius definitio est. Deinde idem est ac ius, quod vocant, *proprium.* Quod ius est quemcunque a re quadam excludendi. Omne autem ius in re esse *ius proprium*, ex principiis, quae supra dedimus, prono sequitur alueo. Quo quidem ipso *proprium* dominii characterem non exprimit. Tandem si dominium ita competit, ut in eadem re *iusfructus* alteri competat, *proprietas* dicitur. Quo quidem significatu

B

do-

dominii species est. Ceterum, obiter moneo, ipsam pri-  
maeuae, quam aiunt, communionis naturam a dominio  
alienam esse, omnium fere calculis probatur. Sed no-  
stram non addimus. Communio enim primaeua sane non  
est nisi is status, quo quisque hominum pro cuiusque  
rantum indigentia de rebus externis disponit. Nihil au-  
tem absurdum videtur, in eiusmodi statu de ipsa interdum  
alicuius rei substantia suo pro arbitrio etiam cum exclu-  
sione aliorum statuere.

In omni dominio ius cogitamus, quod alicui com-  
petit. Sed particeps eius est vel unus solus, vel plures.  
Si illud, dominii species exsurgit, quae *dominii solitarii*  
nomine insignitur. Vnde in solitario hoc dominio tota  
ac integra rei substantia obiectum iuris in re alteri com-  
petentis est. Sin hoc, vel plures uniformi iuris ratione  
participes sunt vel dissimili. Priori in casu *condominium*  
locum sibi vindicat. In condominio igitur non tota rei  
substantia sed pars eius individualis iuris in re singulis com-  
petentis obiectum est. In quo quibusdam aquam haere-  
re animaduertimus. In posteriori vero casu in *dominium*  
*minus plenum* incidimus. Ponamus dominium, quod  
minus plenum non est, opposita ratione *plenum* dicitur.  
Sub quo igitur tam dominium solitarium, quam condo-  
minium comprehenditur. Si dominium minus plenum

ob-

obtinet vel dominium hoc cum vſufructu ſcīl. cauſſali coniunctū eſt, vel vſufructus ſeiuectus eſt. Illo in caſu dominium vocatur *vtile*, hoc vero *directum* audit. Citra pulueris iactum iura in vitroque comprehenſa euoluidantur. Sed iam hoc non agimus. Opus ſaltim fuit hiſce notionibus, quo ſecurius deinceps de dominio bonitario ſtatui poſſit.

Si dominium competit, idem illud adquisitum ſit oportet. Sed adquisitio iuris ſine modo ac titulo non procedit. Niſi rūm ſi adquisitio alicuius iuris contingit, factō opus eſt, ex quo concipi detur. Ac ita modum acquirendi depoſcimus. Verum legibus aduersantib⁹ ius adquiritur nullum. Vnde ratio adſit neceſſe eſt, quare per leges iuris adquisitio poſſibilis. Sed ratio haec ex lege deſumta titulus eſt. Quae pariter in dominium caderē nemo, niſi talpa coecior, non videt. Sit etiam, quod in omni iure in re ac dominio acquirendo modus tantum non ſemper in traditione, ſed vel interdum in ſolo paſto vel adiudicatione vel declaratione ultimae voluntatis morte conſirmata ſubinde quaerendus eſt. Enim uero titulum iuris in re translatiuum ius tamen ad rem, ſi vel maxime adquisitum, operari dicunt, ſi, modo acquirendi deficiente iuri in re producendo non ſufficiat. Fateor, communem eo valere doctrinam, ſed ſatis, opinor, fal-

lacem. Titulus enim ac modus adquirendi inditulso ne-xu cohaerent. Ius ad rem titulo iusto modoque adqui-rendum iuri in re deriuatiue iusto pariter titulo ac modo adquirendo praecedit. Idque ipsum satis non perspectum offendiculo fuit. Vitio nemo eiusmodi digressionem verterit. Scopo huius scripti cancellis non adeo arctis inclu-dor, quos migrare nefas. Sufficiat triualibus plagulas non effarsisse.

Modus ius in re, adeoque dominium adquirendi vel non nisi ciilibus legibus sanctitus, vel naturalibus. Ille quidem *civilis*, hic vero *naturalis* est. Modos ciuiles maximam partem enumerat *VARRO de re rust. L. II. c. 10.* Ex quibus principiores olim fuere *mancipatio*, in iure *cessio*, *visucapio*, quos vel ideo solos recenset *VLPIANVS Fragm. 16.*

Res, vt pleno iure, quod est, si omnia iura, quae dominium complestat, transferuntur, possideatur, vel nisi modo ciilibus, in alterum transferri non poterat vel non. Illo casu res dicitur *mancipi*, hoc vero *nec mancipi*. Sic *VLPIANVS I. c. XIX. 1.* generatim rerum di-uisiōnē ordinat. Quum autem statim per species eundo rem tractarit, obscuram omnino reliquit. Industriam igitur interpretum exercuit horum terminorum explicatio.

C H A.



CHARONDAE ad c. l. eae res V L P I A N O mancipi esse  
 visae sunt, quae in communi nostro vsu versantur & quas  
 manu quodammodo capimus atque tractamus. Sed nullum  
 non modo inde, quod tamen maximum intercedit, discri-  
 men elucet, verum etiam magis definitio in res nec man-  
 cipi, in vsu communi versantur & manibus contrectan-  
 tur. CAROL. SIGONIVS de antiquis iuris ciuium rom. l. t.  
 c. XI. cum BOETHIO in topicis Cicer. L. III. res mancipi  
 definit: *res, quae ita ab alienabantur, ut ea ab alienatio per*  
*quandam nexus fieret solemnitatem.* Porro adserit: *Quae-*  
*cunque igitur res L. XII. tabb. aliter nisi per hanc solemniti-*  
*tatem alienari non poterant, mancipi vocabantur, caete-*  
*ruae autem res nec mancipi.* Sed recte monet SCHVLT-  
 TING. Iurispr. Antei. ad Vlp. l. c. definitionem BOE-  
 THII satis non esse perfectam, nec ex ipsa rei natura  
 desumptam. Ex ipso enim CICERONE Top. c. 5. ac  
 VLPIANO l. c. §. 8.9. 16. 19: abunde constat & aliis modis  
 ciuilibus fieri, vt res alienetur, quae mancipi. Immo-  
 si NEXI conceptum quem GRONOVI in Epist. 302.  
 ad Claud. Salmas. adcepsum ferimus, iungamus, ne qui-  
 dem per speciem alienationis nobilissimam ac, iudice  
 HVBERO Prael. ad l. de testam. ord. §. 5. dominii caussam  
 perfectissimam, vtpote mancationem (obligabat enim  
 venditorem ad euictionem & ad duplam, quantumuis nulla  
 stipulatio interuenerit PAVLL. Sent. L. II. t. 17. §. 2. 3.)

B 3

rem

rem explanauit. Ipsam autem mancipi ad nec mancipi rerum indolem nosse, tanto magis refert, quanto magis alio atque alio iuris effectu in variis veteris prudentiae capitibus censeatur.

Quae autem ad mancipi res pertineant, satura lance nobis exhibet **V L P I A N V S** loc. cit. verbis: *Mancipi res sunt praedia in Italico solo tam rustica, qualis est fundus, quam urbano, qualis est domus. Item iura praediorum rusticorum: velut via, iter, actus, & aquaeductus. Item serui & quadrupedes, quae dorso colloue domantur velut boves, muli, equi, asini: ceterae res nec mancipi sunt. Elephanti & cameli, quamvis collo dorsoue domentur, nec mancipi sunt, quia bestiarum numero sunt.* Ex hac specierum quidem enumeratione eiusmodi res mancipi fuisse videamus, quae insignius aliquod patrimonium ac nobilissimam diuitiarum partem constituebant. Reete inde ac iure infert **B Y N K E R S H O E C K.** de reb. manc. cap. 2. omnes quidem res mancipi pretiosas esse, non autem versa vice inde colligi vult, omnes res pretiosas esse mancipi. Sique adeo pretiosiora, praeter ea, quae **V L P I A N V S** recensuit, non occurrant, quae idoneus testis mancipi vocauit, quod tamen de margaritis ex **PLINIO Hst. natur. L. X. c. 35.** probatum dat **I. c. c. 4.** Vid. **S C H V L T I N G. I. c. ad §. 3. t. XIX. fragm. VI p.** regulae ipsi insistendum videtur: *Ceterae*

terae res nec mancipi sunt. CVIACIVS autem Parat. ad t. C. de usu transf. omnes res pretiosas, quae veneunt auro contra vel auro supra rebus mancipi ad censendas statuit. De ipsis rerum mancipi speciebus otium nobis fecit BXN-  
KERSHOECKIVS in opusculo commodum laudato de *rebus mancipi & nec mancipi.*

Iam ponas rem mancipi, eodem vel modo ciuili in alterum translata est, vel non. Illo in casu dominium Quiritarium, iuxta THEOPHILVM Inst. ad s. vlt. t. de libert. ἐνεργον legitimum, hoc vero bonitarium, secundum eundem THEOPHILVM φυσικὸν naturale obtainemus. Ad utrumque igitur in utroque dominio respiciendum, 1) ad modum adquirendi, 2) ad rem mancipi, quae obiectum utriusque dominii est.

Si igitur dominium Quiritarium quis adcepit, nulla alia res, quam mancipi, nullo alio modo, quam ciuili alienata sit, necesse est. Quam ergo alienationem si ad rei mancipi notionem exegeris, pleno iure rem mancipi in adipicentem transisse, liquet. Quae ratio est, quare EX IVRE QVIRITIVM rem suam esse contra quemque possessorem vindicans adserere poterat. Quamuis autem inter ciuiles modos adquirendi non tantum mancipatio, verum etiam cessio in iure, usucapio, hereditas &c. collo-

can-

canda; statim tamen, inter viuos, priuato actu dominium Quiritarium transferri non poterat, nisi mancipatione. Mancipatio enim licet inter actus legitimos familiam ducat, priuato tamen auctu suscipi posse, haud incogniti olim iuris est. Quae in emancipatione ac adoptione vsu venit, coram magistratu quidem explicatur, sed non qua talis, sed qua connexa cum reliquis auctibus, coram magistratu necessario suscipiendis.

Quum dominium bonitarium transferatur, si res mancipi modo non ciuili alienetur, duobus modis eius ortus contingit. Si scilicet res mancipi alienatur, aut a ciue romano in ciuem romanum transfertur, aut non, seu vel a ciue in peregrinum vel a peregrino in ciuem, vel ab uno peregrinorum in alterum alienatur. Si posterius, quum peregrinus, iuris quippe ciuitatis pariter atque Quiritium expers, modi acquirendi ciuilis capax non sit, res mancipi modo ciuili transferri non potuit. Si igitur in hostem aut fundum Italicum, aut seruum, aut filium familias &c. quocunque titulo modoue translatum adcipiamus, sit etiam, quod ipsa mancipationum solemnitas intercesserit, tamen non potitur nisi naturali dominio. Sin prius, a ciue in ciuem vel modo exhibito ciuili translata est res mancipi vel non. Priori casu ad ipsum legitimum dominium, posteriori autem ad bonitarium tantum profest

dest alienatio. Ipsa iam **V L P I A N O** testimonium denun-  
ciamus: sic autem ille *Fragm. I. §. 16.* qui tantum, inquit,  
*in bonis* (cui **T H E O P H I L V S** ut supra monuimus domi-  
nium bonitarium tribuit) *non ex iure quiritium* (seu in  
dominio quiritario) *seruum* (adeoque rem mancipi) *ha-  
bet, manumittendo latinum* facit (ciuem romanum non  
faciebat nisi ex iure Quiritium dominus). *In bonis tan-  
tum alicuius seruus est, velut hoc modo: si ciuis romanus*  
*a ciue romano seruum emerit, isque traditus ei sit* (seruus  
adeo non nisi modo non ciuili alienatus proponitur) *ne-  
que tamen mancipatus, neque in iure cessus, neque ab ipso*  
*anno possessus sit,* (non id iam agitur, vt plene modi ci-  
uiles enumerentur, principaliorum saltim mentio fit) *nam*  
*quam diu horum quid fiat* (seu vsque dum horum quid  
fiat. Non est igitur, quod cum **S A L M A S I O** *Diatr. de*  
*mutuo p. 95.* pro *quid fiat* reponamus *quid non fiat*) *is ser-  
uus in bonis quidem emtoris est* (adeoque dominium non  
nisi bonitarium translatum est. Refert **V L P I A N V S** se-  
cundum modum, quo bonitarium dominium constituitur,  
primum tamen ideo non exclusit) *ex iure Quiritium au-  
tem venditoris est.* Una igitur eademque res mancipi ci-  
uili modo non alienata simul in dominio Quiritario, hoc  
in casu venditoris, ac bonitario in nostro casu emtoris  
esse adseritur. Ex hoc quantius pretii loco satis nostrae  
explicationi roboris adcedit.

C

Res



Res mancipi non nisi ciuili modo vt pleno iure pos-  
sideretur, omniaque adeo iura in dominio comprehensa  
transeant, alienari posse, supra euicimus. Si igitur mo-  
do non ciuili transferantur, non potest transire, nisi do-  
minium iure quodam in dominio comprehenso multata-  
tum, adeoque imperfectum. Dominium bonitarium pro-  
dit, si res mancipi non abalienatur, seu modo non ciuili  
alienatur. Dominium igitur bonitarium dominium imper-  
fectum est, re vera nullum dominium. Neque igitur aut  
solitarium, aut condominium aut utile aut directum do-  
minium est. A quo tamen omni ex parte alienus non  
videtur BYNCKERSHOECK. l. c. c. IX. verbis: *nec*  
*certe quidquam efficeret, sit etiam alienatio i. e. cessio dominii*  
*naturalis, bonitarii, minus pleni:* nisi dominium minus ple-  
num ipsi sit, quod nobis dominium suis numeris non ab-  
solutum. Nulla igitur a dominio bonitario proficisci po-  
terat vindicatio, nec actio intendi: *ao hanc rem ex iure*  
*Quiritium esse meam.* Quare si dominium bonitarium na-  
etus, possessione excidisset, non in cuius bonis res est,  
sed alter penes quem nudum ius quiritium remansit con-  
tra tertium possessorem rei vindicias sibi dari postulare  
poterat. Gaueros quidem eiusmodi dominos esse non ne-  
gauero vsu rei mancipi atque fructu, & quam THEO-  
PHILVS fundorum prouincialium possessoribus tribuit,  
plenissima possessione. Proinde si seruus alterius in bonis,

al-

alterius ex iure quiritium, ex omnibus caussis adquiret ei, cuius in bonis est. **V L P I A N . T . X I X . § . penult.** Dominum hoc transferre poterant in alios atque ad heredes transmittere. Nihil autem eius huc pertinet, quod **M O D E S T I N V S l . 52 . de Adq. rer. Dom.** ita adserit: *Rem in bonis nostris habere intelligimus, quotiens possidentes exceptionem: aut amittentes ad reciperandum eam actionem habemus.* Quamvis hoc ita visum **S C H V L T I N G . ad VI. pian. l . X I X . § . 3 . n . 1 4 .** In bonis enim esse I Cto non est esse in dominio bonitario, sed in patrimonio. Sed res etiam in dominio quiritario existens in patrimonio, adeo que hoc sensu in bonis est. Optime rem omnem adumbrat omissa resignatio iudicialis in alienatione rei immobiliis iure Saxon. Elēct. Si enim vel maxime rei traditio extraiudicialis adcesserit, non tamen plus iuris in adipicentem transit, quam quod in bonitario dominio continetur, nec minus penes alienantem remanet, ac quod quiritarium exaequat. **W E R N H E R . Part. III. obs. 15.**

Quae quum ita sint, si res nobis obuersatur, quae nec mancipi est, quounque alienationis genere, siue ciuili, siue non ciuili adquisita fuerit, nullum in eam dominium aut bonitarium aut quiritarium cadere potest. Haec igitur dominiorum distinctio non in genere domini est, sed rerum speciatim mancipi. Atque hoc ipsum

C 2

est,

est, in quo a reliquis diuertimus, quibus dominium quiritarium ac bonitarium curae fuit cordique. Sic BYNCKERSHOECK. loc. cit. c. IX. *Translatiſ*, inquit, fundis Italicis aliisque rebus, quae mancipi ſunt, ſed translatiſ per ſolemnem & formulariam traditionem, ſive ea mancipatio, ſive in iure cefſio fuerit, fit alienatio i. e. cefſio dominii directi, veri, quiritarii, plenissimi. *Translatiſ* rebus prouincialibus, aliisque nec mancipi, ſed nuda traditione, ſine ſolemni illa ac formularia, quae in hiſ nec obtinet, nec certe quidquam efficeret, fit etiam alienatio i. e. cefſio dominii naturalis, bonitarii, minus pleni. Atque paucis interiectis: Nam alioquin & res nec mancipi alienantur & eorum dominium quaeritur, ſola traditione, ſed ut ex praecedentibus iam intelliges dominium bonitarium. BYNCKERSHOEK IVM ceu coryphaeum reliqui ſequuntur, rem omnem ſic tradentes: res vel modis ciuilibus adquifta erat, vel non niſi naturalibus. Ex posteriori dominii bonitarii omnem originem petunt. Sed si qua animalia non res mancipi veluti canes, feles, gallinae &c. vefteſ, metalla, res quae pondere, numero & mensura constant emta ac tradita, aut ſi qua alia res nec mancipi occupatione aut adceſſione quaefita, negare rei vindicationem, ſi poſſeffione exciderint, duos admittere dominos, alterum nudum ex iure quiritium, alterum, cuius in bonis eſſet, nouum ſane eſſet, inciuile, ipliſis

ipsis principiis veteris prudentiae aduersum. Nullibi rem nec mancipi in dominio bonitario esse veteres adfirmant, nec ipsos quidem fundos prouinciales. Olim agri & praedia in prouinciis non pleno iure possessoribus cedebant, vt in Italicis praediis ac Italicensibus, sed prouincialibus, saepius ipsis romanis hac lege concedebantur, vt annum stipendum ac tributum impositum, illud quidem iuxta THEOPHILVM post partitionem prouinciarum ab Augustis factam, populo, hoc autem principi soluerent: ipsi autem libera fructus percipiendi, rem alienandi, in heredes transmittendi, ac a tertio quolibet vtili actione repetendi potestate, uno verbo iure iuri emphyteutico simili ac ipso vtili dominio, (cuius argumentum I. 3. C. de seruit.) gauderent: summum autem atque directum dominium penes populum remaneret. Quare quum dominium bonitarium ne quidem vtile sit dominium, nec illud in fundos prouinciales cadit. Atque ita THEOPHILVM in §. 40. I. de rer. druij. adciendum putamus. Quum autem omnes ad eum confugere soleant, qui fundorum prouincialium dominium bonitarium adserunt, operaे pretium erit, eiusdem verba hic adponere. Ita autem ille: Οἱ τὰ σικενδιάρια καὶ τριβετάρια ἔχοντες πάλαι πατέρων γυγχώντων δήμων ἡ βασιλέος, ἐκ τῶν δεσπότων: (dominii scilicet pleni) ἡ γαρ δεσπόται (scilicet directum dominium) αὐτῶν ἦν ἡ παρὰ τῷ δήμῳ, ἡ παρὰ τῷ βασιλαῖ, ὅλλ' εἰχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς

C 3

χεῦ-

◆ ◆ ◆

χεῖτιν καὶ ἐπικαιρίαν καὶ πληρεσάτην κατοχὴν, ὡς δυνατθεῖ καὶ εἰφέρειν μεταφέρειν, καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. *Qui olim ex concessione populi vel principis stipendiaria, vel tributaria scil. praedia, habebant, domini non erant, nam dominium eorum erat, aut apud populum, aut apud principem, sed usum & fructum eorum habebant & plenissimum possessionem, ita ut & transferre possent in alios & ad heredes transmittere.* De dominio bonitario altum ΤΗΕΟΡΦΙΛΟ silentium. Usucapi quidem fundus prouincialis non potest *I. 2. §. 2. de public. in rem. aet.* sed hoc non arguit dominium eorum esse non posse nisi bonitarium. Quum enim usucapio per leges decemuiraes inuenta fuerit, hoc tempore autem intra Italiam res romana terminaretur, in Italicis fundis ac Italicensibus, in rebus adeo immobilibus mancipi locum tantum non potuit non habere. Quae ratio fuit praescriptionis fundorum prouincialium per solam longi temporis possessionem in supplementum usucaptionis inuentam possibilis. *§. 7. I. de Usucap.* Interdum quidem dominium bonitarium ex praescriptione longi olim temporis deriuandum erat, sed non, nisi res mancipi siue mobilis siue immobilis longa possessione detinatur. *I. 2. I. 9. de diuer. temp. praescript.* At tempora usucaptionis citius labebantur, quam quae praescriptioni prae finita. Qui fieri igitur poterit, cessante usucapione, praescriptioni locus. Tempus sane non omnes usucaption-

num

num numeros absoluit. Varia igitur incidere poterant, quae usucaptionem salua praescriptione, etiam in rebus mancipi impediebant, sit etiam, quod provincialis tantum conditio usucaptioni in fundo Italico obesse. Nullibi relatum sancitumque inuenimus per longam possessionem in re nec mancipi naturale dominium adquiri.

Iam ex nostra quam explicatam dedimus noua quidem, quod sciam, sed satis tamen probabili sententia maxima ciuium peregrinis elucet praerogativa. Certe inter res mancipi familiam non ducunt, nisi quae ad insignius patrimonium pertinent, atque pleno iure haec possidere non nisi ciuis romani est. Obscura **B Y N K E R S H O E C K I O** loc. cit. c. 2. res videtur, quae ratio diuiserit res mancipi ac nec mancipi, nec enim id dixit **V L P I A N V S**, verba sunt ipsius **B Y N K E R S H O E C K I I**, nec quisquam aliis. In lucem protrahitur, si nostra hypothesi utimur. Sed eadem ipsa causa est, quae Imperatorem mouit, quare, cessante iam nimia ciuium praerogativa, quicquid rerum mancipi ac nec mancipi indeque dependentis domini quiritarii ac bonitarii discriminis fuerit, aboleuerit, *I. vn. C. de nud. iur. quir. toll.* *I. vn. C. de usucap. transf. & subl. differ. rerum mancipi & nec mancipi.*

Me





*Na 2333*

*VD-18*

*S*




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-290356-p0032-4

DFG

B.I.G.

Black



Farbkarte #13

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

LXXV.  
TO. HARTWICH REUTER D.  
POTENTISS. BORSSOR. REGI IN SUPREMO OMNIVM PROVOCATIONVM  
TRIBVNALI A CONSILII SECRETORIBVS

A E N I G M A T I S

QUOD

IMPERATORI L. UN. C.

DE NUODO IURE QUIRIT. TOLL. VISUM

IN

DOMINIO QUIRITARIO

AC

BONITARIO

SOLUTIO

QVA SIMVL

Kd 2333

NOTIONES IURIS IN RE AC AD REM

EVOLUTIORES

SISTIT.

HALAE

APVD IO. CIRIATI AN. 1755.

1755.

XLI. 1.